

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)	zu Bild Nr. 0916
	0914
	0920
	0910
	0925
	0905
	0965
	0865
	1015
	0815
	0415
	Ende
	Anfang
343	
Damascenus dictus, ut habet magister in Spec. Histor. et habetur idem 40. C. illud in apparatu. Hoc autem nomen sortitus est hic ager a Damasco, servo Abrahae, quia forte eum emerat sicut Abraham speluncam duplēm a populo terrae, ut habetur Genes. 23. In hoc sacro agro utrumque, scilicet sublimitas et calamitas humani generis, initium sum- sit. Nam rerum omnium fabricator Deus in hoc loco, VI. die saeculi, 25. Martii, creatis bestiis terrae cunctisque rep- tilibus et volucribus coeli, protoplastum primum hominem Adam tamquam creaturarum omnium finem ac possessorem de rubro limo terrae hujus agri fixit et insuffavit in faciem ejus spiraculum vitae et factus est homo ad imaginem et similitudinem Dei. Qui cum staret nudus coram Deo in loco suae plasmationis, confestim elevatis manibus gratias egit, dicens: Manus tuae, Domine, fecerunt me, et plasmaverunt me totum in circuitu, itaque memento mei, quod sicut lutum feceris me et sicut lac mulsisti me et sicut caseum me coagulasti, pelle et crinibus fecisti me, ossibus et nervis compegisti me, vitam et misericordiam tribuisti mihi, et visi- tatio tua custodiat quaeso spiritum meum. Adam itaque creato, viro utique insigni et per pulchro, quem nonnulli autumant ingentem gigantem fuisse factum, cum inter gigantes conmu- neretur maximus, Josuae XIV., mox eum Deus tanta profu- dit gratia, ut nullo tradente magistro sed sola justitiae ori- ginalis virtute omnium liberalium artium clarissime edoctus est; notitiam quippe omnimodam astrologiae et geometriae, musicæ, grammaticæ atque rhetoricae habere promeruit, omnium quoque herbarum, arborum, metallorum, lapidum pretiosorum, avium, bestiarum, piscium, serpentum cuncta- rumque creaturarum notitiam habuit; claram praeterea et explicatam beatæ Trinitatis et incarnationis Christi solus ha- bere meruit. Unde et Dominus ipsum mundi imperatorem summumque omnium pontificem constituit; volens denique Dominus Deus universis coeli et terrae creaturis Adam ipsum ut suum recognoscere dominum atque rerum omnium pro- prietates virtutesque innotescere, universæ coeli militiae mandavit, ut omnes creaturas ad Adam perduceret, quibus singulis propria imponeret nomina, ac sic singulis stellis coeli	